



# RECTOR

UNIVERSITATIS LIPSIENSIS,

*AD FUNUS,*

PERQVAM REVERENDI ET CLARISSIMI  
DN.

M. FRIDERICI QVIRINI  
GREGORII,

SS. THEOLOGIAE BACCALAUREI ET PASTO-  
RIS IN NOSOCOMIO BENE MERITI,

*Hora III. hodie II. Sept. clo lv cclxxv.*

*efferendum,*

CIVES SUOS INVITAT.

Biogr. erud.

D. 210, 108.

*Vitt. Lud. Georg. — M. F. — S.*



Um Perquam Reverendus & Clarissimus Dn. M. Fridericus Quirinus Gregorius, S. Theologiæ Baccalaureus, in Nosocomii, in quo Pastor fuit, Æde sacra, ab Amplissimo Urbis Senatu de novo exstructa, & SS. Trinitati, Patri, Filio, & Spiritui S. dedicanda, Homiliam Primam feria prima Paschali, die 21. Aprilis, hoc anno haberet, accommodata ad præsens oratione post votum, quo Jesum invocabat, ut qui suum, & auditorum suorum corda sibi statim post nativitatem ipsorum ad inhabitandum templa elegerit, in nova DEI domo sit & perpetuo habitet, in proëmio explicavit verba Christi Joh. II, 19. Judæis incredulis respondentis: destruite templum hoc, & intra triduum excitabo illud. Ab hoc transit ad Diem Festum, cui Resurrectionem Christi considerari conveniat, quamque tanquam Novi templi exstructionem sit ostensurus, & ad cuius meditationem auditores suos exstimulare debeat intuitus Novi, in quo sint, Templi. Exordium sumit a reedificatione Templi Secundi a Judæis ex Captivitate Assyriaca reducibus, ad quam multi admodum hilares vociferabantur, alii, senes præcipue, qui a Templi prioris, quod oculis suis conspexerant, splendore & magnificentia istud Novum multum abfuturum prævidentes, voce magna fleverunt: quos vero solatus est Haggæus prædicens, maiorem futuram gloriam domus posterioris, quam fuerit, utut magna, prioris: eam vero maiorem gloriam non quærendam in externa pompa & ornamentis, sed in visibili adventu Mesfiæ in carne ad Templum secundum. Hinc transitum fecit ad sepulcrum apertum Jesu, ad quod mulieres accesserunt opinatæ, templum Corporis Jesu adhuc destructum iacere, ob quam causam ad ungendum id venerunt: sed Angelus Domini concionatus ipsis exterritis, maiorem gloriam templum Corporis Jesu per resurrectionem consecutum, ac ante habuerat. Inde manavit propositio! Templum Corporis Jesu reedificatum, & partitio: primo quod mulieres adhuc destructum putarunt: secundo quod Angelus maiore gloria præditum prædicavit. In Tractatione igitur Corpus Jesu in schemate reedificati templi sistens consideravit primo, ut a mulieribus adhuc destructum creditum fuit. Ubi de istis dixit, tam templum visitantibus, quam erronea opinione præoccupatis. Inter mulieres has primo loco nominavit Mariam Magdalenam; quæ non solum vivum, quo iret, cum aliis piis foeminis secuta est Jesum, eique de facultatibus suis subministravit, sed & mortuum amare perrexit, nullis sumptibus ad honorandum sepultum parcens. In ista foemina Christiani amoris exemplum commendavit: quem filii DEI imitantur, amando benefactores viventes, immo & mortuos: cum amicitia mundi invita haut raro frigescat, quando utilitas cessat, per mortem prorsus extinguatur. Huiusmodi amicos amici funus ne quidem comitari: Vere amantes queri defunctum, solari eius cognatos, curam gerere honesti

honesti & Christiani funeris. Paucos huiusmodi amicos hodie reperiri, qui sincero amore idem agant: In textu tres duntaxat foeminas tales nominari, paucas satis. Quapropter Concionator excitavit se atque Auditores suos, nescios, quid post mortem suam ipsis eventurum sit, ut studeant amici immutabilis DEI esse, Orentque, dum sani sunt, amicum sibi usque in sepulcrum manere: hunc si habeant, non de fore beneficos homines. Mariae Magdalenae reliquas foeminas adiunxit, atque ab his argumentum petiit virtutem DEI in sexu sequiore praedicandi, qua aliquando Viros praecunt. Verum easdem foeminas mox monstravit opinione erronea templum Corporis Jesu adhuc iacere destructum occupatas, ex qua unguenta ad unguendum emerunt, venerunt, & sollicitae fuerunt, uti sepulcrum possent ingredi. Hortabatur Auditores, ut foeminis prudentiores probent, quae DEO placeant in sacris ipsi actionibus: Vocavit ad sepulcrum Jesu, in quo viderent peccata sua sepulta, non reditura, nisi ipsi refoderent. Voluit credere, nos per baptismum sepultos esse cum Christo in mortem, ut sicuti Christus suscitatus est ex mortuis, ita & nos nova vita ambulemus. Absoluta priore parte progressus est ad posteriorem, in qua Angelus praedicavit de maiore templi Corporis Jesu gloria, quam ante erat. Ad quam concionem perpendendam voluit oculos converti in ipsum Angelicum Praedicatorem, auribus percipi memorabilem concionem, attendi metu & terrore perculsos audientes. Habitum Praedicatoris in forma Juvenis pulchri promississe laetum nuncium; sedentis ad dextram, indicasse sessionem resuscitati Filii DEI ad dextram Patris mox secuturam; Vestem albam longam condecorare actum triumphalem Christi. In qua pulchra visione representatam monstravit glorificationem corporum resurrectionem, in quibus Angelis erimus similes. Concionem Angelicam partitus est in introitum, propositionem, & effectum. Introitu pavorem foeminis ademisse: quem Orator promissit animis Auditorum suorum pariter se eximere velle, si aegrotent & aliis afflictionibus urgeantur, si a Satana tententur, si hora mortis sonet: nam & in sepulcro iis adfore Angelos. Propositio erat: frustra ab ipsis quaeri Jesum crucifixum in sepulcro, ex quo resurrexerit, non esse amplius in eo: quae verba intelligenda monuit de naturali & visibili praesentia, non de invisibili, quae ex unione personali fluit, humanae naturae. Quomodo etiam in Templo Novo praesentem promissit auditoribus suis ante oculos pingendum, in Sacra Coena accipiendum, & ad fructus resurrectionis contra omnes adversitates percipiendos. Eventum Concionis notavit festinantem abiturum foeminarum ex metu & terrore. Sine quo cum nunc audita sit Concio Evangelica, compelli se suosque auditores dixit non ad fugiendum, sed approquinandum DEO precibus & gratiarum actione. Quibus devote, loco & tempori convenienter fuis bene finiit. Concio integra typis exscripta nuper fuit. Nos tamen ista excerpta hic repetimus, ut ante oculos haberemus significaturi, beate defunctum non solum studuisse, ut auditorum suorum animos faceret templa S. Trinitatis, sed & ipsum vivendo moriendoque fuisse. Natus die XVIII. Dec. An. clō lcc LXXXVII. Francofurti ad Viadrum, Patrem habuit Dn. M. Jacobum Gregorium, Pastorem bene meritum in Aede S. Georgii laudatae Civitatis, Matrem Agatham Elisabetham, natam Rackvviziam. Paternus Avus Dn. Fridericus Gregorius, Assessor Judicii, Et Institor Pannifeca Dresdae; Avia Anna Mülleria, Avus maternus, Fridericus Rackvvitz, Mercator Lipsiensis, Avia materna Dn. Elisabetha nata Schacheria, die XIX. Decembr. corruptus originali labe infans, sacris baptismi aquis ablutus templum DEI Patris, Filii & Spiritus S. in quorum nomen baptizabatur, esse coepit. Id ne in adultiore ignorantia DEI & prava vita destrueretur, curarunt Parentes, solliciti, ut Christianae Religionis initiis ante omnia imbueretur, & post ea animum ingenii artibus excoleret. Patris curam mors abruptit, cum quartum annum vix excessisset puer: continuavit Pater Vitrici Dn. Joachim Ernestus Otto, Electoralis Brandenburgicus Commissarius Bellicus & Steuralis brevi tempore: nam & hic post elapsam novimestre spatium fato functus est. Avia igitur puerum ad se recepit, nihil omittens eorum, quae ad educationem bonam facerent. Atque haec exoptatum progressum habuit, dum ipse magno ardore discendi flagraret. Hinc postquam per aliquot annos in Schola patria fuisset, valedicens XV. Decembr. clō lccc. oratione de Fasciis Christi, Rector Dn. M. Fridericus Prozenius, suum caeterorumque Collegarum gaudium de eo testatus, carminae respondit. Mox XVIII. Decembr. a Dn. D. Strimesio, Rectore Academiae Magnifico inter Studiosos receptus est. Hujus Collegio in Elenchum Controversiarum Spanhemianum, qua parte contra Socinianos est, & Thetico Dn. D. Holtzfusii interfuit. Cum vero Theologiam suam apud Reformatos Doctores bene absolvere non posset, insuperque cognatos sibi multos

multos in hac urbe haberet, solennibus Jubilei Francofurtensis Academiae peractis, an-  
 clo CCVII. ad nos venit. Qui inter Cives nostros a Rectore Magnifico, Dn. D. Ludero Mencke-  
 nio scriptus, statim Philosophiam tractavit, Magistro usus Dn. Böttnero, in cujus Scholis privatis  
 quoque super Theses ex Jure Naturae cum commilitonibus suis disputavit. Theologiam aggressus  
 Theticam juxta methodum Koenigii explicantis Dn. L. Ludovici P. P. auditor fuit. Post  
 Dn. D. Gottfriedum Olearium Theticam, Exegeticam, Moralem Theologiae partes tradere au-  
 didit. Nec Polemicam neglexit: quippe in Beati D. Güntheri Collegio duobus annis cum dimi-  
 dio super Theses ex universa Theologia, & alio Dn. L. Weisii, Pastoris ad S. Thomae super Con-  
 troversias recentiores disputando se exercuit. Anno clo lccix, Praeside Dn. D. Boerhero P. P. de  
 Romuli cognomento, clarisque Quirinis publicam disputationem defendit. Dum eodem  
 anno Jubileus Academiae celebraretur Magistri titulum assumpsit, quem merito suo sibi colla-  
 tum die IX. Jul. an. CCX. disputatione prima de Temperamentis Scriptorum N. T. probavit;  
 eam secuta altera d. 20. Maji CCXIII. Privatim, alios docendo discere, atque proficere ipse  
 studuit. Inter haec sortem suam in manus Patris caelestis reposuit, exspectans tranquillo ani-  
 mo eventum. In parte magna felicitatis suae habuit, quod non solum adveniens statim  
 multos Fautores & Amicos invenisset, sed praecipue Beata Matre Schacheria, & ab ejus  
 Filio Dn. D. Quirino Hartmanno Schachero, Consule Civitatis meritisimo, multa documenta  
 benevolentiae perciperet. An. CCXII. Amplissimus Urbis Senatus in reparato Templo Pe-  
 trino Seminarium erecturus, nostrum inter alios Candidatos probationis causa ad Concionem  
 admisit: qua habita super Cap. I. Genes. in id assumpsit. Mox ad vacuum munus Concionato-  
 ris Sabbatici in templo S. Thomae vocavit: exorsus illud est d. 27. Augusti, die Sabbati ante Do-  
 minicam XIV. Trinit. Fluebat hic dies laetus Concionatori novo, donec post concionem a  
 meridie habitam Domino Patruo obitum matris referens Te gaudium in tristitiam verteretur.  
 Non enim parum perculit triste nuncium. Profectus Francofurtum audivit Concionem in  
 memoriam Matris a Dn.Inspectore, Zacharia Henselio, haberi. Reversus d. XI. April. CCXIV.  
 disputationem de Miraculis Providentiae Divinae apud Gentes antiquas proposuit Praes. Eo-  
 dem anno d. XVII. April. Gradu Baccalaureatus in Theologia ornatus, Praeside Dn. D. Godo-  
 frido Oleario, cujus informationem semper magnificavit, de usu doctrinae de Temperamen-  
 tis Apostolorum in Theologia meruit, ut qualem Facultas judicaverat dignum eruditionis &  
 honoris titulo, talem etiam alii agnoscerent. Jam hunc divina providentia ostendere coepit,  
 non Doctorem Academiae, sed Praeconem Verbi Ecclesiae destinatum esse. Nam defunctis  
 celebribus duobus Viris, D. Hornio & D. Günthero, dum succederent Collegae proximi, &  
 his caeteri, Pastoratus in Nosocomio vacuus mansit. Ad quem, post concionem docimasti-  
 cam d. VI. Aug. CCXIV. die Lunae post X. Trin. in 3. 4. & 5. versus Cap. III. Jonae, die XVI.  
 Aug. vocationis literas accepit: examinatus & ordinatus officium adiit d. II. Sept. Dom. XIV.  
 Post Trin. Hoc fideli & laeto animo gessit, gratus acceptusque Ecclesiae. Audiebant enim  
 omnes, in Aede S. Trinitatis docentem omnibus viribus anniti, ut quale ipse esset, templa SS.  
 Trinitatis auditores conservaret, aut efficeret. Verum DEO, pro occulta sua sapientia placuit,  
 Ministrum hunc suum, officio brevi tempore functum, optimo aetatis flore, ad se avocare. Et-  
 enim d. 24. Aug. nuper diarrhoea, mox dysenteria maligna vires Corporis exhaustit, ut, dum  
 medicamentis morbus praevaleat, mortem sibi imminere praesentiret. Praevidebat corpus  
 mortale suum destructum iri, sed & credebat se aedificium ex DEO habiturum, domicilium non  
 manu factum, aeternum in caelis: corpus suum animale, fore spirituale, feri in ignominia, susci-  
 tatum iri in gloria, simili glorificato Corpori Christi: Animam suam ducturam Angelos in  
 Templum DEI, in quo ex visione S. Trinitatis gauderet. Jam sollicitudo de sepultura, quam  
 in Concione sua habuerat, evanuerat, cum viverent cognati, quorum amorem erga mortuos  
 suos perseverare noverat. Itaque ad beatum abitum se paratissimum faciebat, accepto devo-  
 tissime saluberrimo viatico Corporis & Sanguinis Christi. Continuavit preces & colloquia  
 cum Dn. M. Griebnero de sensu gratiae Divinae & certitudinis salutis aeternae ex inhabitatione S.  
 Trinitatis. In his ab eodem confirmatus die XXX. Augusti placide finiit. Vixit an. XXVII,  
 m. IX. hebdom. II. d. IV. Cujus funus, quum ad horam III. postea futurum sit, ve-  
 strum est, Cives Academici, prolixè illud ac frequenter exequi.

P. P. Lipsiae d. II. Sept. An. Chr. clo lcccxv.

Literis Krügerianis.